



**S**anctus Bruno dux Carinthie, Conradi Imperatoris eius nominis secundi patruelis fuit. Hic ab ineunte aetate optimis literis & uirtutibus educatus fuit. quas etiam mira industria percepit & retinuit. Itaque Mainhardo Episcopo Vuirtzburgensi mortuo, ipse omnium consensu decimus nonus eius loci praeful electus est 1033. Hanc functionem summa fide & diligentia administravit, atque S. Kiliani templum ex fundamento restituit, deinde maternum praedium in Saxonia Sonnenreich suae ecclesiae dono dedit. Inter alia autem negotia ex antiquorum patrum expositione magnum opus in totum Psalterium collegit & edidit, ut hac ratione clerum ad preces & pietatem adhortaretur. Cum autem Heinricus eius nominis tertius Imperator contra Vngaros exercitum duxit, ipse Cæsarini comitatus, Possonij fortuitò de alta domo cum alijs cadens, interiit, magna piorum lamentatione, anno 1045. Hanc eius mortem malus genius in itinere predixerat. Hic postea ob pietatem & omnis generis uirtutes sanctorum catalogo inscriptus, atque Orientalis Franciæ singularis patronus habitus fuit. Fuit is Heribolim relatus, & ibi honorifice sepultus inscripta. Inscriptio sepulchri talis est: Anno Domini 1045, sexto calend. Iunij obiit beatus Bruno episcopus, fundator huius ecclesiae. Anon.